



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XXIV. Inveniri Deum in memoria, quia invenitur ibi veritas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## C A P. XXIV.

*Inveniri Deum in memoria, quia invenitur  
ibi veritas.*

1. Ecce quantum spatiatus sum in memoria mea, quarens te Domine, & non inveni extra eam! Neque enim aliquid de te inveni, quod non meminisse, ex quo didici te. Nam a ex quo didici te, non sum oblitus tui. Vbi enim inveni veritatem, ibi inveni Deum meum, b ipsam veritatem: quam, ex quo didici, non sum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoria mea, & illic te invenio, cum reminiscor tui, & delector in te. Haec sunt sanctæ deliciae meæ, quas donasti mihi misericordia tua, respiciens paupertatem meam.

## N O T. AE.

a *Vbi enim inveni veritatem* ) in naturalibus principiis resurgentem, qualia sunt: *Deum esse summum bonum, esse incorruptibilem, inviolabilem, immutabilem, meliorem omnibus rebus corruptibilibus, violabilibus, mutabilibus.* (*Ibi*) in memoria, cui haec semina divinæ cognitionis naturaliter insita sunt (*inveni Deum meum*) ex his principiis ejus naturaliter paulatim investigando.

b *Ipsam veritatem* ) est Deus prima & summa veritas, tum quia divinus intellectus est mensura & causa omnis alterius esse, & omnis alterius intellectus, tum quia essentia divina est conformis intellectui divino. Est autem Deus veritas objectiva respectu intellectus nostri, & principia naturalia sunt veritates formales, sive cognitiones veritatis objectivæ.

## V S V S.

*Est Deus in memoria nostra ita insculptus per prin-*

S.Th. I. p.  
q. 16. a. 5.  
c.

principia naturalia, ut nulla oblivione deleri possit. Ille castas delicias subministrat animæ, consideranti in illo esse omne bonum, & non esse ullum malum.

## C A P. XXV.

*Non inveniri Deum inter imagines rerum corporalium, nec affectuum, & prestatore ipso animo, sunt enim hæc omnia mutabilia.*

I. **S**ed ubi manes in memoria mea, tu Domine? ubi illic manes? quale cubile fabricasti illic tibi? quale sanctuarium edificasti tibi? Tu dedisti hanc dignationem memorie meæ, ut maneas in ea; sed in qua ejas parte maneas, hoc considero. Transcendi enim partes ejus, quas habent & bestiæ, cum te recordarer; quia non ibi te inveniebam inter imagines rerum corporalium, & veni ad partes ejus, ubi commendavi affectiones animi mei, nec illic inveni te. Et intravi ad ipsius animi mei sedē, quæ illic est in memoria mea, quoniam sui quoque meminit animus, nec ibi tu eras. **Q**uiā sicut non es imago corporalis, nec affectio viventis, qualis est cum lætamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliviscimur, & quicquid hujusmodi est: ita nec ipse animus es, quia Dominus Deus animi tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia; & dignatus es habitare in memoria mea, & ex quo te didici. Et quid quaro, quo loco ejus habites, quasi vero loca ibi sint? Habitæ certe in ea, quoniam tui

R 7                  memini,